

voluntati determinatē vnum extremum vel contrarietatis, vel contradictionis, præ alio, vt hic & nunc convenientius voluntati. Nam cum voluntas sit potentia cæca, debet in omnibus sequi ductum intellectus. Hoc autem iudicium non constituit actum primum libertatis, sed est determinatio illius ad speciale exercitium liberum, infertque illud infallibiliter. In hoc conveniunt communiter Thomistæ.

Duo, quæ ex parte voluntatis requiruntur, habent debitam correspondentiam cum duobus prærequisitis relictis ex parte intellectus. Requiritur ergo in primis ipsa potentia voluntatis cum virtute sufficiente adæquata ad duo extrema vel contradictionis, vel contrarietatis, & cum indifferentia subiectiva ad illa. Et hæc indifferentia subiectiva constituit actum primum proximum, & formalem libertatis. Deinde requiritur determinatio & applicatio subiectiva reducens illam ad vnum determinatum exercitium liberum præ alio, quæ iam præsupponit actum primum adæquatum voluntatis. Hæc autem debet esse à Deo: quia est primum determinans, & propterea debet prioritate naturæ antecedere exercitium formale voluntatis.

102 Ex his respondetur ad argumentum distinguendo maiorem: potest voluntas à Deo necessitari, supposita virtute sufficienti adæquata, nego maiorem; auferendo, vel non conferendo virtutem adæquatam, concedo maiorem. Et absolute debet minor negari. Ad cuius probationem dicimus, quod nulla est possibilis adhuc metaphysice inclinatio impressa voluntati, & constituens eam in ratione virtutis sufficientis, quæ ex se connectatur cum actu adhuc naturaliter, sed omnis connectio possibilis cum illo advenit ei accidentaliter à iudicio pratico determinante intellectus, & à prædeterminatione nostra physica, quibus voluntas non potest resistere. Sed cum hæc præsupponant actum primum adæquatum libertatis, & tantum habeant munus mere applicationis ad hoc exercitium præ alio, propterea voluntas absolute non evadit necessitata, immo potius perficitur per ea in ratione virtutis sufficientis libera. Si verò adversarij inveniant aliquam inclinationem ita vehementem, vt infallibiliter connectatur cum actu, sicut connectitur nostra qualitas prædeterminans, & constituit adæquate, vel inadæquate actum primum modo explicato §. præced. tunc concedemus posse voluntatem à Deo necessitari absolute. At prædicta inclinatio foret diversæ rationis, ac qualitas physice, & pure applicans & prædeterminans actum primum sufficientem, vt ex ipsis terminis liquet. Et consequenter nihil sequitur contra nos. ¶ An data prædicta qualitate, se tenente ex parte actus primi, & infallibiliter connexa cum actu, stare possit iudicium indifferens, sub lite est apud

Auctores. Sed ego responderem sub distinctione: Nam si desit virtus proxima ad actum, adsit tamen virtus remota ad eam comparandam saltem dispositive, potest stare iudicium indifferens, quo pacto in peccatore est iudicium indifferens fidei ad odium, & amorem Dei, est in eo non sit virtus proxima ad amorem, quia videlicet habet virtutem remotam ad eam comparandam. Si verò adesset virtus determinata ad amorem Dei modo proposito, iudicamus impossibile, quod cum ea stet iudicium indifferens ad amorem Dei, & carentiam illius: Quia nulla forma potest essentialiter alligari subiecto sui effectus formalis incapaci; & iudicium indifferens alligatur essentialiter supposito intelligenti, quod in prædicta suppositione est incapax excitari ad carentiam amoris, ac proinde in cæpax effectus formalis prædicti iudicii.

Ad probationem maioris, in qua intenditur determinationem ad vnum provenientem à qualitate prædeterminante necessitate voluntatem: Respondetur, determinationem virtutis ad vnum per modum virtutis, seu dantis posse inferre absolutam necessitatem. Sed hæc est impossibilis, stante iudicio indifferenti. Unde, supposita virtute sufficiente ex parte voluntatis, tota radix necessitatis sumenda est à carentia talis iudicii, sicut tota ratio libertatis est à carentia talis iudicii, ut docet D. Thom. loco supra citato, & quæst. 24. de Verit. art. 2. vbi ait: *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet.* Idem docet quæst. 6. de Malo art. vnic. ad 15. vbi inquit: *Illam causam, quæ facit aliquam causam velle, non oportere, quod ex necessitate hoc faciat: quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo considerationem, quæ inducit ad volendam, vel considerando oppositum.* Et hoc liquet in beato, in quo adest idem habitus charitatis ac in viatore: unde necessitas ad amandum Deum solum oritur ex defectu iudicii indifferens. Determinatio autem virtutis ad vnum non orta ex ipsa virtute, sed ab aliqua qualitate ei accidentali se habente per modum mere applicationis, compatitur quidem cum iudicio indifferenti: sed hæc adeo abest à necessitate voluntatis, quod potius perficiat eius libertatem. Nec propter eam excludunt Concilia, Patres, aut D. Thom. hoc genus determinationis ad vnum, sed aliud genus determinationis per modum actus primi: quia sub isto genere voluntas non potest resistere, & dissentire in sensu adhuc diviso. Cum determinatione autem per modum mere applicationis, licet non possit resistere ipsi determinationi, nec in sensu composito possit dissentire, potest tamen dissentire, & resistere consensui secundum se in sensu diviso. Pro intelligentia tamen sensus compositi, & sensus divisi remittimus lectorem ad tract. 4. disp. 3. dub. 4. §. 5.

Ad

§. XX.

## Corollarium totius doctrine.

Ad additamentum argumenti responderetur ex supra dictis, permittendo minorem. Et distinguendo consequens: potest Deus determinare ad vnum extremum contrarietatis, transeat consequens; ad vnum extremum contradictionis, nego consequentiam. Vel aliter: potest determinare per collationem virtutis sufficientis, seu dantis posse, nego consequentiam; per ablationem talis virtutis, transeat. Vel aliter: potest determinare ad vnum per modum mere applicationis, concedo consequentiam; alio modo, supposita virtute sufficiente, nego consequentiam. Ex quibus omnibus distinctionibus, cuius sensus est facilis, constat Deum non posse voluntatem necessitare per collationem alicuius inclinationis quantumvis vehementis, stante indifferentia iudicii; nec Deo restare aliam causam necessitandi voluntatem, præsupposita in ea virtute sufficiente ad virtutum extremum libertatis, nisi auferendo iudicium indifferens.

103 Ad primam confirmationem respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et permittitur prima eius probatione: Dicimus ad secundam, quod si pro ligare voluntatem intelligatur prædeterminatio ad vnum, Deus nequit illam ligare per eam, sicut quis ligatur vinculis ab alio: quia prædeterminatio Dei se habet per modum mere applicationis; ligamen verò est impedimentum ad motum se tenens ex parte actus primi.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem, & eius primum exemplum satis constat ex supra dictis. Ad secundum dicimus, quod licet Christus noverit, intemperantiam esse conformem appetitui, quæ ratio est sufficienter alliciens ad sui amorem; hæc tamen cognitio erat mere speculativa, sicut in Deo. Iudicium indifferens, quod est radix libertatis, est valde diversum à prædicta cognitione, quia est cognitio proponens practicæ rationes hic & nunc allicientes, & retrahentes ab intemperantia, & amore, & fuga illius: quæ in Christo non habet locum, & propterea non erat liber ad amandum intemperantiam ex defectu iudicii indifferens. ¶ Si verò dicas, nullum Thomistam reducere impeccabilitatem Christi in defectum talis iudicii. Respondetur falsum esse, quod non reducant in prædictum defectum tanquam in radicem proximam; licet solum meminerint alterius radicis exigentis prædictum defectum, quæ est vnio humanitatis cum Verbo. Per quod constat ad tertium exemplum beati.

\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*

104 EX dictis in toto hoc dubio deducitur hucque stabilitam esse etiam necessitatem pro statu innocentie, idest pro Adamo, antequam peccasset, & pro Angelis, sive in via, sive in patria. Hoc corollarium procedit contra Cornelium Iansenem Iprensensem Episcopum, qui statuit hoc discrimen inter motionem divinæ gratiæ pro statu naturæ lapsæ, & pro statu innocentie, vt in statu innocentie non prædeterminet liberum arbitrium; sed expectabat eius determinationem, & ab eius usu totam suam efficaciam sortiebatur: in statu verò naturæ lapsæ titulo infirmitatis prædeterminet voluntatem, & talis motio prædeterminans ex se infallibiliter inferat effectum. Hincque deducebat, omnem gratiam pro statu naturæ integræ Angelorum, & hominem fuisse mere sufficientem saltem entitative, nullamque gratiam in statu naturæ lapsæ esse mere sufficientem distinctam & separatam ab efficaci. Præcipuum fundamentum, in quo relatum discrimen fundat, desumit ex doctrina Magni Parentis Augusti, in lib. de Corruptis & grat. cap. 10. 11. & 12. & propterea Thomistæ, qui gratiam persè efficacem propugnant pro utroque statu; magis Aristotelicos, quam Augustinianos vocat lib. 8. de gratia Salvatoris cap. 21. Sed vt videat Iansenius Thomistæ in propugnanda præiata gratia ex se efficaci non solum inuit Aristotelis principijs, sed etiam doctrinæ D. Augustini, ex eius limpidissimis testimonijs nostrum corollarium suadendum est.

Probatur ergo primò ex doctrina generali D. Augusti, applicata ab ipso statui innocentie: Nam S. Aug. non aliter significat gratiam ex se efficacem, quam dicendo, quod illa facit nos velle; & quod dat, & operatur in nobis bonam voluntatem; sed de gratia Angelis, & Adamo in statu innocentie necessaria idem docet lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. lib. etiam 14. cap. 11. & lib. de Nat. & grat. vt refert D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 10. ad 3. & lib. de Corruptis & grat. cap. 11. ait: *Quod liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti Deo* (vbi loquitur de casu Adam) Et tract. de Cant. novo cap. 8. *Quid valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adamo demonstratum est: ad malum sufficit sibi ad bonum non nisi adiuvetur à Deo:* Ergo pro statu etiam innocentie agnoscat gratiam ex se efficacem.

Secundò. Nam idem S. Doctor efficaciam divinæ gratiæ demonstrat ex omnipotentissimæ Dei potestate, seu ex virtute infinitæ voluntatis, quæ

X. 2.

quæ

quæ non potest vincî, impediri, aut retardari à creatura, & cui volenti saluum fieri nullum humanum resistit arbitrium; sed ipsiolum docet circa Angelos, & primos Parentes in statu innocentia in Enchirid. cap. 96. & 102. ergo pro statu innocentia agnoscit eandem gratiam efficacem.

Tertio. Quia ex eo probat necessitatem gratia efficacis, quia discretio credentium à non credentibus, volentium à non volentibus salutariter est à Deo, & non principaliter à libero arbitrio convictus testimonio Apost. 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti sed de discretione bonorum, & malorum Angelorum idem tradit de Civit. Dei lib. 11. cap. 19. & lib. 12. cap. 9.* Rursus adductum testimonium Apost. accommodat Angelis, & primis Parentibus psalm. 32. conc. 2. & psalm. 70. conc. 1. ad fin. & cum ipso S. Anselmus lib. de Casu diaboli cap. 1. Ergo.

Quarto. Nam gratia efficax pro statu nature lapsæ suadet ex Augustino, quia pro collatione, & denegatione illius recurrit ad inscrutabilia iudicia Dei; sed pro Angelis eodem modo ad ea recurrit lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 10. his verbis: *Sed posset, inquit, ipsorum ( Angelorum scilicet, qui defuerunt ) voluntatem in bonum convertere: quoniam omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia voluit. Cur noverit, penes ipsum est. Debeamus enim non plus sapere, quam oportet sapere.*

Quinto. Nam ex eo D. Augustinus suadet efficaciam gratia pro statu nature lapsæ, quia qui convertuntur, & perseverant, recipiunt maiorem gratiam; sed iuxta ipsum August. de Civit. Dei lib. 12. cap. 9. Angeli, qui in dilectione Dei permanserunt, ad hoc receperunt maiorem gratiam: ergo pro statu innocentia necessaria fuit iuxta D. August. gratia efficax, quæ necessaria est pro statu nature lapsæ.

Sexto. D. August. pro statu nature lapsæ convincit efficaciam divinæ gratia ex necessitate orationis, adhuc postquam quis habet auxilia sufficientia, seu adiutorium sine quo: non enim petimus à Deo solum, vt det nobis posse, sed potissimum velle: atqui Angeli, & Adamus in illa integritate, qua conditi sunt, tenebantur Deum invocare: tum quia: vt docet ipse August. lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. Deus poterat Adamo gratiam conferre, ne caderet: & vt inquit epist. 106. *natura humana etiam in illa integritate, in qua condita erat, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret: idem tradit lib. de Corrupt. & grat. cap. 27. in Enchirid. cap. 106. alitque in locis.* Ergo iuxta D. August. in statu integritatis fuit necessaria divina gratia efficax, sicut in statu nature lapsæ.

105. Confirmatur. Nam circa necessitatem gratia efficacis in statu integritatis id sentendum est esse de mente August. quod eius discipuli præcipui, & alij posteriores PP. eius doctrina propugnatores docuerunt; sed plures discipuli D. August. & alij PP. posteriores docuerunt necessitatem gratia efficacis pro statu innocentia: ergo ipsiolum tenent August. Patet consequentia: quia incredibile est illos voluisse debellare doctrinam D. August. & in hac parte illam deseruisse, & docuisse doctrinam oppositam. Minor verò probatur: nam imprimis D. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. ait, eandem fuisse gratiam efficacem præferentem bonos Angelos, & reparantem hominem lapsum. Item PP. Araus. Concilij can. 19. docent: *Natura humana etiam in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adiuvante servaret.* Quæ verba desumpterunt ex ipso August. epist. 106. quæ proximè retulimus num. præc. Deinde D. Greg. Magn. homil. 14. in Ezech. inquit: *Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus redemptio hominum: illis fortitudo, ne cadant nobis adiutorium, vt surgamus.* Idem docet D. Bern. serm. 12. in Cant. his verbis: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laboretur.* Tandem D. Thom. 1. 2. quest. 109. art. 1. inquit: *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo.* Expressius id docet art. 2. eiusdem quest. ubi, loquens de utroque statu nature integræ, & lapsæ, sic concludit: *Uterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, vt ab ipso moveatur ad bene agendum.* En quomodo nullum discrimen agnovit Ang. Doct. quoad necessitatem gratia efficacis in utroque statu. Et consequenter ad hæc art. 9. eiusdem quest. docet, quod homo in statu nature lapsæ indiget motione Dei ad agendum. *Primo quidem ratione generali, propter hoc quod, sicut supra dictum est ( nempe locis proximè citatis ) nulla res creata potest in quocumque actum prodire, nisi virtute motionis divine.* Et 1. part. quest. 94. art. 4. ad 2. docet, hominem in primo statu ideo peccasse, quia non oravit, nec pro gratia divina obtinenda ad Deum confugit; quod de gratia efficaci intelligendum est, quia sufficientem iam habebat.

Mittimus aliam rationem desumptam ex omnibus inconvenientibus, quæ nostri Thomistæ interint contra propugnatores scientia medix. Licet premat magis Iansenium, quam PP. Societatis: qui isti beneficio scientia medix committere concedunt pro omni statu efficaciam gratia etiam in actu primo, desumptam ex prævisione consensus futuri conditionatæ: at

Ian-

Iansenius pro statu integritatis mordicus negat gratiam efficacem in actu primo. Mittimus, inquam, hanc rationem, quia ex dictis in toto hoc dubio facile erit cuius cam in medium producere. Sat erit proponere vnicum inconueniens: videlicet sequi ex discrimine intento à Iansenio, quod in statu integritatis minus bonum attribui Deo, & maius bonum principalius voluntatis: quia ex vna parte voluntas creata iuxta ipsum erat vnicum determinativum gratia; & ex alia maius absolute bonum est bona voluntas in actu secundo, quam bona voluntas in actu primo, quæ constituitur per auxilium sufficiens, & quæ ordinatur ad aliam.

106. Contra nostrum corollarium plura opponit Iansenius D. Augustini testimonia. Sed præcipuum existimat illud; quod ex lib. de Corrupt. & grat. depromit, ubi S. Doctor expressò hanc materiam explicavit à cap. 10. vsque ad 13. exclusivè. In tribus ergo illis capitibus vehementer pondat discrimen gratia collatæ prædestinato in statu nature lapsæ, à gratia concessa Adamo in statu nature integræ: quod scilicet cum ista Adamus, etsi fortissimus, debili vegente tentatione victus fuit; & cum illa homo, etsi infimissimus, gravissimis tentationibus agitur victus perseveraverat: & quod gratia integritatis est adiutorium, sine quo non possumus perseverare, sed perseverantiam non dat; gratia verò lapsæ necessaria est adiutorium, quod perseverantia donatur: ergo iuxta Magn. Parentem August. verum est discrimen Iansenij inter gratiam utriusque status, quod videlicet in statu nature lapsæ erat necessaria gratia efficax, secus verò in statu integritatis. Ad antecedentis probationem transcribenda essent tria illa capita integra præfati libri. Satis erit brevitate causa aliqua verba, quæ magis præmunt, ex illis deponere: Nam imprimis Deus iuxta August. cap. 11. & 12. solum contulit Adamo auxilium sine quo; nunc autem confert præter illud auxilium quo; & certum est, Adamum elucuisse ante lapsum aliquos actus salutare. Deinde docet ibidem, quod Adamus potuit perseverare, si veller, quo denotat gratiam collatam Adamo esse omnino indifferentem. Rursus inquit, quod Adamus non egebat auxilio, quod iusti implorant in hoc statu; auxilium autem, quod implorant iusti, est efficax, quia sufficiens omnibus confertur. Item asserit, quod Angeli boni in veritate steterunt per liberum arbitrium; per quod mali non permanserunt. Præterea necessitatem auxilij efficacis revocat ad infirmitatem nature: quo significat naturam sanam & integram non egere auxilio efficaci. Tandem totam doctrinam trium illorum capitum dirigit D. Augustinus ad solvendum objectionem, de iniustitia correctionis desumptam, si perseverantia est donum Dei, quam sibi proposuit cap. 10. quomque exten-

dit ad statum integritatis: illamque non aliter solvit, quam asserendo discrimen gratia ad verumque statum necessaria, consistentis in hoc, quod licet nos egeamus adiutorio, quo voluntas nostra infirma agatur potentissimè; Adamus verò illo non egebat, sed gratia, sine qua perseverare non posset, & quæ permittebatur libero sane voluntatis arbitrio. His omnibus videtur præoccupari responso quorundam Recentiorum ex utraque Schola, dicentium D. August. non loqui de quacunque gratia status sanitatis, sed præcisè de gratia sufficiente, quæ Adamo, & Angelis fuit concessa ad perseverandum.

Respondetur nihilominus: prænotando, quod scopus Augustini tribus in illis capitibus est insinulare comparationem non inter quancunque gratias, & auxilia nature integræ, & lapsæ, sed præcisè inter gratiam Adæ collatam ad perseverandum in bono, & vitandum peccatum, quod derivaretur in posteris; & gratiam, quæ ipsi Adamo post lapsum, & alijs prædestinatis datur per Christum, vt actu perseverent. Ita colligitur ex D. August. allegato à D. Thom. 1. 2. quest. 109. art. 10. ad 3. & e. 2. quest. 137. art. 4. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit lib. de Corrupt. & grat. primo homini datum est, non vt perseveraret, sed vt perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem praberet. Sed nunc prædestinatis per gratiam Christi non solum datur, vt perseverare possint, sed vt perseverent. Unde primus homo, nullo terreste contra Dei voluntatis imperium, libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate. Isti autem, seiviente mundo ne starent, steterunt in fide.* Ratioque id persuadet: nam Adamus ante lapsum bene salubriterque operatus fuit, & ad huiusmodi actus habuit auxilia efficacis, quæ non tantum dabant posse ad operandum, sed etiam facerent velle; & operari (quæ iuxta dicta toto hoc dubio sunt non solum actu efficacis, sed etiam ex se efficacis) Non enim stat auxilia, quibus defectò quis operatur, non esse efficacis: cum auxilium efficax, prout à sufficienti distinguitur, desinat ab omnibus ex D. August. per hoc, quod cum actu coniungitur. Restabat ergo, quod differentia, quam August. tribus illis capitibus docet inter utramque gratiam, esset tantum pro ordinem ad perseverantiam finalem.

Quo prænotato: Respondetur discrimen intentum à D. August. inter gratiam utriusque status non esse absolute, quod omnis gratia Adamo collata pro statu innocentia fuit merè sufficiens, cum haberet efficaciam ad aliquos actus salutare, quos elicit ante lapsum; sed quod attentis meritis utriusque status, sani, & ini-

infirmi, Adamus egebat in statu infirmitatis maiori auxilio, utique efficaci, maxime ad perseverandum: quia ex se, & titulo suae infirmitatis erat impotens moraliter inter tot gravissimas tentationes carnis, diaboli, & mundi ad perseverandum, illisque succumberet, nisi tali auxilio efficaci & potentissimo adiuveretur per Christum. Ceterum in statu innocentiae, ex meritis illius & status titulo infirmitatis, tali auxilio non indigebat, quia nulla ibi erat rebellio carnis ad Spiritum. Egebat tamen in hoc statu sano & integro ad perseverantiam finalem gratia efficaci, necessitate fundata in vertibilitate liberi arbitrii: ut diximus supra in hoc tractatu disput. 1. num. 85. Egebat etiam concursu generali Dei, titulo causae secundae, & ipsi Deo subordinatae, eo modo ac omnes creaturae, in quibus supponitur facultas sana & robusta. De quo titulo in praedictis capitibus D. Augustinus non disputabat, sed alibi examinandum reliquit, vel à se traditum supponit. Hæc solutio colligitur ex Div. Thom. 1. 2. quaest. 109. art. 9. ubi ait, hominem gratia sanctificante ornatum indigere gratia Dei actuali efficaci propter duo: *Primo quidem ratione generali, propter hoc quod... nulla res creata potest in quocumque actu prodire nisi virtute motionis divine. Secundo ratione speciali propter conditionem status nature humane: quae quidem, licet per gratiam sanctetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio* & *infectio quantum ad carnem &c.* Quasi diceret, quod si per possibile, vel impossibile homo non egeret gratia efficaci ratione subordinationis communis creaturae sanæ, & infirmæ, egeret ea, ratione suae infirmitatis. Per quod iam constat ad omnes probationes.

## DUBIUM III.

*An si Deus ageret ex necessitate nature; voluntas nostra esset libera in suis actibus?*

107 **A**D statum questionis supponimus primo, prædeterminationem, quam defendunt Thomistæ contra PP. Societatis non auferre libertatem nostrorum actuum, sed potius illam inferre, causare, favere, & perficere. ¶ Supponimus secundo, quod si Deus ageret ex necessitate nature, prædeterminaret nostros actus, quia esset Deus, & prima causa. Unde sicut hac ratione nunc prædeterminat nostram voluntatem ad suos actus, ita in prædicta suppositione impossibili illam prædeterminaret: cum hoc tamen discrimine, quod nunc prædeterminat liberè, sed tunc prædeterminaret necessario. Unde difficultas reducitur ad hoc, an videlicet prædeterminatio necessa-

riò causata à Deo pugnetur cum libertate formalis nostrorum actuum, licet prædeterminatio à Deo liberè causata, non pugnet? Hinc utilitas huius controversiæ clarior: quia ex ea deducitur, quod prædictum ex parte Dei sit prima radix, vel fundamentum nostræ libertatis; an sola efficacia divinæ voluntatis, an simul eius libertas? Nam si, operante Deo ex necessitate nature, adhuc maneret voluntas nostra libera proculdubio sequeretur radicem nostræ libertatis non esse libertatem divinam, sed efficaciam divinæ voluntatis, quæ tunc maneret. Si verò voluntas nostra non foret libera, sequeretur e converso radicem, & fundamentum nostræ libertatis non esse solam efficaciam divinam, sed simul divinam libertatem.

108 Supponimus tertio, quod si Deus ageret ex necessitate nature, libertas non esset perfectio simpliciter simplex. Et ratio est evidens; nam tunc supponeretur Deus summè perfectus sine libertate: ergo libertas non esset perfectio simpliciter simplex. Patet consequentia: quia Deo summè perfecto nequit deficere aliqua perfectio simpliciter simplex. Hinc deducitur, libertatem nostram (si daretur) non fore eiusdem rationis cum libertate, quæ nunc datur: Tum quia tunc libertas non esset perfectio simpliciter simplex, & nunc est. Tum etiam: quia libertas, quæ nunc datur, tunc esset impossibilis; cum nunc præcontineretur formaliter in Deo; & tunc non præcontineretur formaliter, sed tantum eminenter, ad modum earum rerum quæ ex suo conceptu formali imperfectionem important. Unde dubium præfens est, an in illa hypothefi voluntas nostra libera utrumque foret, libertate scilicet diversæ rationis ab ea quæ defectò datur?

109 Supponimus quarto, hanc hypothefim tribus modis posse fingi, vel posito solo vno impossibili ex parte conditionis, videlicet ex parte Dei, ut si Deus ageret ex necessitate nature, nullo alio impossibili præsupposito ex parte nostra: vel præsupposito ex parte nostra alio impossibili, ut si supponeretur existere liberum arbitrium, vel præsuppositis his duobus impossibilibus, præsupponendo tandem, quod Deus præstaret concursum tam pravium, quam simultaneum eiusdem rationis cum eo, quem modò præstat. Præfens controversia procedit potissimè de hypothefi sub vnicò impossibili ex parte Dei, quia ex eius resolutione facile deducitur, quid tenendum sit sub alijs impossibilibus, & combinationibus.

110 Circa quam triplex versatur sententia. Prima absolute affirmat, quod voluntas nostra foret libera in suis actibus, etsi Deus ageret ex necessitate nature. Pro quo præcipue militat Illustris Godoy tom. 2. in 1. part. disp. 54. allegans pro se antiquiores Thomistæ Capreolum, Ferraram, Caietanum, Bañez, Zumelem, Alvarez,

*Dub. III. An si Deus ageret ex necessitate nature, voluntas nostra &c.* 351  
varex, Nazarium, Serram, Arauxo: Et ex alienis Vazquez, & Arbalem.

Secunda absolute negat, quod voluntas nostra liberè ageret, si Deus operaretur ad extrinsecum. Huius sententia principales propugnatores sunt NN. Salmant. in præf. disp. 7. dub. 7. pro qua referunt Ferraram, Bañez, Zumelem (quos pro contraria sententia citat Godoy) Navarretam, Nuño, Ledelmán, Scotum cum omnibus eius discipulis, & alios: quibus addi debet Sapientissimus Lemos tom. 1. tract. 2. à cap. 11.

Tertia sententia mediam tenet viam: nam si fingatur casus primo, & secundo modo relatis num. præced. convenit cum secunda sententia. Si verò fingatur sub tribus impossibilibus, adhaeret primæ. Ita Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 19. sect. 3. Machin. Fafolis, & Ferre tract. de *Voluntate Dei* quaest. 9. assertens, quod si Deus ageret necessario, non maneret in nobis liberum arbitrium; sed si maneret, voluntas nostra liberè ageret; & pariter si Deus præstaret eundem concursum, quem modo præstat. His suppositis.

## §. I.

*Sententia negativa prælatio.*

111 **D**iccendum est, quod si Deus ageret necessario, nostra voluntas non ageret liberè. Ita Authores secundæ sententia. Et probatur efficaciter: nam implicat voluntatem nostram liberè agere libertate contrarietatis (de qua claritatis gratia erit sermo) quin habeat indifferentiam activam ad consensum, & dissentium; sed si Deus operaretur necessario, voluntas nostra non haberet indifferentiam activam ad consensum, & dissentium: ergo si Deus operaretur necessario, voluntas non ageret liberè libertate scilicet contrarietatis. Minor probatur: nam implicat voluntatem habere indifferentiam activam ad consensum, & dissentium, nisi præintelligatur cum indifferentia passiva ad hoc, ut moveatur à Deo ad consensum, & ad dissentium: nam sicut prius est voluntatem à Deo moveri, ut agat, quam quod voluntas agat, ita debet prius intelligi indifferentia passiva ad hoc, ut moveatur ad consensum, & ad dissentium, quam quod habeat indifferentiam activam ad consensum, & ad dissentium; sed si Deus ageret necessario, voluntas nostra non posset habere indifferentiam passivam ad hoc ut moveatur à Deo ad consensum, & ad dissentium, quia Deus, præmovens necessario voluntatem ad consensum, nequit illam præmovere in eodem instanti adhuc in sensu diviso ad dissentium: ergo si Deus operaretur necessario, voluntas nostra non haberet indifferentiam activam ad consensum, & ad dissentium.

Hæc ratio, si efficax est contra libertatem contrarietatis, virget æque contra libertatem contradictionis. Tum quia in probabiliori sententia nullum est extremum libertatis, quod non importet præsuppositivè, & essentialiter aliquid actum. Tum etiam: nam adhuc in sententia admittente puram omissionem liberam est actus interpretativus, ac proinde non debet esse repugnantia ad verum actum, qui sit causa omitendi, nec repugnantia ad præmotionem ad talem actum requisitam; sed in instanti, quo voluntas præmoveretur necessario à Deo ad amorem, datur repugnantia adhuc in sensu diviso ad præmotionem alterius actus oppositi: ergo etiam ad talem actum: ergo voluntas non haberet libertatem contradictionis.

112 Confirmatur hæc ratio, & simul præcavetur solutio Ferre, & Godoy num. 16. dicentium, quod præmotio tunc casus esset libera ut *quo*, licet esset necessaria ut *quod*. Præcavetur, inquam, hæc evasio: Nam motio illa, quæ ita inserti consensum, ut pugnet cum potestate adhuc antecedente ad dissentium, nequit esse libera ut *quo* libertate contrarietatis ad consensum; sed præmotio necessario collata à Deo ad consensum pugnat cum vera potestate antecedenti ad dissentium: ergo non est libera ut *quo* libertate contrarietatis ad consensum. Maior est certa: propterea enim præmotio defectò existens est libera ut *quo* libertate contrarietatis, quia non pugnat cum potestate antecedenti ad actum contrarium. Tum etiam: quia liberè agere libertate contrarietatis est agere consensum, & posse verè elicere dissentium: motio ergo illa, quæ inserti consensum, & pugnat cum potestate vera ad dissentium, nequit esse libera ut *quo* libertate contrarietatis.

Minor verò probatur: Tum quia Deus non esset antecedenter potens prædeterminare dissentium, si necessario præmoveret ad consensum; aliàs liberè præmoveret ad consensum, & præmotio ad consensum esset libera non solum ut *quo*, sed etiam ut *quod*: ergo nec voluntas præmotà à Deo necessario, haberet potentiam antecedentem ad dissentium. Consequentia est legitima: nam sicut repugnat actio voluntatis Deo non subordinata, ita repugnat *potestati voluntatis* potestati Dei non subordinata; & in tali casu, nec dissentius, nec *potestati ad dissentium* Deo subordinantur: non dissentius, quia hic Deo non subordinatur, nisi media præmotione, quæ tunc foret impossibilis: nec *potestati ad dissentium*, quia non subordinaretur simili *potestati Dei*, quod tunc in Deo non daretur.

Tum etiam: Quia nulla est potentia ad id, quod ex terminis est impossibile; sed si Deus necessario præmoveret ad consensum, dissentius esset ex terminis impossibilis: ergo præmotio necessario à Deo collata ad consensum pugnat cum vera potestate antecedenti ad dissentium. Mi-

nor probatur: nam præmotio ad dissentium tunc esset ex terminis impossibilis, ergo etiam dissentus. Antecedens est certum: nam eo modo, quo unum contrarium est necessarium, alterum contrarium est impossibile. Consequentia probatur: nam omne essentialiter connexum cum eo, quod ex terminis est impossibile, est etiam ex terminis impossibile; sed dissentus essentialiter connectitur cum præmatione Dei ad illum: ergo si præmotio Dei ad illum tunc ex terminis esset impossibilis, etiam dissentus.

Urgetur hoc: Quia nulla est vera potestas ad inferendam chimæram; sed supposito quod Deus necessario præmoveret ad consensum, & daretur in voluntate potestas ad dissentium, talis potestas metaphysicè posset inferre chimæram: ergo cum præmatione necessaria ut quod ad consensum pugnat vera potestas antecedens ad dissentium. Minor probatur: nam posse inferre dissentium sine præmatione ad illum est posse inferre chimæram, quia dissentium existere absolute sine præmatione Dei est chimæra; sed tunc, si voluntas haberet veram & antecedentem potestatem ad dissentium, talis potestas esset ad inferendum dissentium sine præmatione ad illum: ergo talis potestas metaphysicè posset inferre chimæram.

Urgetur amplius: Dissensus enim solum est antecedenter possibilis existere, vel existente præmatione ad illum, vel non existente; sed utrumque est chimæra: ergo nulla est vera potestas antecedens ad dissentium. Maior patet. Minor similiter quod secundam partem probationem non indiget: nam est chimæra existere aliquem actum creatum sine præmatione Dei ad illum. Quoad primam verò suadet: nam, existente præmatione ad consensum, existere præmationem ad dissentium est chimæra; sed tunc existeret præmotio ad consensum, in suppositione quod Deus necessario præmoveret voluntatem ad illum, cum talis præmotio necessario antecedenter existeret: ergo existere dissentium cum præmatione ad illum esset chimæra.

Urgetur adhuc: Nam, ut dissentus posset existere, necesse est, quod præmotio consensus posset vera aliqua potentia deficere; sed si præmotio consensus necessario à Deo existeret, nulla vera potentia posset deficere: ergo dissentus nulla vera potentia posset existere. Maior est certa: nam sicut dissentus non potest existere sine præmatione, ita non potest existere cum præmatione ad consensum. Minor verò probatur: nam talis defectus non posset poni à potentia creata: quia in eius potestate non est, quod deficiat, sicut nec quod existat. Nec potest poni à Deo, quia ponere præmotio à Deo necessario antecedenter: Ergo talis defectus à nulla vera potestate posset poni.

113. Dices cum Godoy num. 29. quod li-

cet Deus præmoveret ad consensum per modum nature, non tamen esset determinatum ad præmovendum semper ad illum, sed iuxta exigentiam voluntatis nostræ, que non peteret præmoveri semper à Deo ad illum, ac proinde nec Deus illam semper præmoveret ad talem actum. Unde illa præmotio posset deficere ob cessationem concursus divini, qui non semper durare deberet.

Sed contra est primò. Nam hinc sequitur, quod Deus, dum præmoveret ad consensum, non posset non præmovere ad illum, & absolute non posset præmovere ad dissentium: Quia iuxta solutionem datam, dum adest exigentia ex parte voluntatis necessario præmoveret; sed dum adest præmotio ad consensum, daretur exigentia ad illum, alias non posset Deus ad illum præmovere, & non daretur exigentia ad dissentium, alias necessario præmoveret ad dissentium simul, & ad consensum: ergo non posset non præmovere ad consensum, & absolute non posset præmovere ad dissentium. Et sic redeunt impugnationes nuper adductæ.

Secundò. Nam, positus omnibus requisitis ex parte actus primi, vel Deus necessario præmoveret ad actum; vel non? Si dicas primum: ergo in illo instanti non potest à Deo poni defectus præmationis. Si dicas secundum: ergo illa potentia non poterit præmovere ad actum.

Tertiò. Nam pone exigentiam voluntatis ut à Deo præmoveatur in instanti *A* ad consensum; sed in hoc instanti *A* voluntas nullam potentiam veram habet ad dissentium: ergo frustra recurritur ad huiusmodi dispositionem ad salvandam libertatem voluntatis creatæ. Minor probatur: tum quia nulla est potestas in instanti *A* ad actum, in quo non est vera indifferentia passiva ad præmationem requisitam ad talem actum; sed posita exigentia voluntatis, ut à Deo præmoveatur in instanti *A* ad consensum, non est indifferentia passiva in eodem instanti, ut præmoveatur ad dissentium, sicut in Deo non est in illo instanti indifferentia activa: ergo in instanti *A*, in quo est exigentia voluntatis ut à Deo præmoveatur ad consensum, voluntas non habet veram potestatem ad dissentium.

Urgetur hoc. Si voluntas necessario, & semper præmoveretur ad consensum, voluntas necessario, & semper consentiret: ergo si in instanti *A* datur exigentia voluntatis, ut præmoveatur à Deo necessario ad consensum, in tali instanti necessario consentiret. Antecedens supponitur in prædicta evasione. Et consequentia patet: nam forma, que semper existens, semper necessitatur; in instanti existens, in instanti necessitatur.

Urgetur amplius. Voluntas in instanti *A*, quo exigeret præmationem consensus, est in-

conjugibilis cum dissentio: ergo necessario consentiret. Antecedens probatur: nam est inconjugibilis cum præmatione ad dissentium: quia ad hoc erat necesse, quod Deus posset frustrare præmationem consensus, quam tamen posita tali exigentia, & præmatione Deo necessario, Deus non potest frustrare: ergo etiam est inconjugibilis cum dissentio.

Urgetur adhuc: Posita præmatione iuxta exigentiam voluntatis ad consensum, potestas non potest esse ad dissentium ut positum cum præmatione consensus; sed nec ad dissentium divinum à tali præmatione: ergo non habet potestatem voluntas ad dissentium. Minor probatur: nam habere potestatem ad dissentium divinum à præmatione consensus est posse deficere præmationem consensus; sed nulla est vera potestas, ut præmotio consensus tunc deficeret; non in voluntate creata, quia non habet dominium supra præmationem: nec in voluntate divina, quia illam tunc causaret necessario: ergo.

114. Dices cum Godoy num. 27. sufficere ad libertatem, quod voluntas posset ponere dissentium secundum se, & ut præcisive divinum à præmatione consensus.

Contra est. Nam omnis vera potestas antecedens, que constituit libertatem voluntatis necessario præmotæ ad consensum, vel respicit ut terminum dissentium positive præmotum à Deo, vel positive non præmotum, vel ut prædicentem à præmatione, & non præmatione Dei; sed quilibet ex his modis est chimæra: ergo non est vera potestas ad dissentium. Minor probatur quoad primam partem: nam Deum, præmoverentem in instanti *A* necessario ad consensum, præmovere dissentium est chimæra: ergo dissentus ut præmotus à Deo in instanti *A* esset chimæra. Quoad secundam etiam ostenditur: nam dissentus, ut positive non præmotus à Deo, non est creatus, sicut nec Deo subordinatus ut primæ causæ, & supremo Domino: ergo talis dissentus est etiam chimæricus. Quoad tertiam etiam suadet: nam dissentus ut prædicens, à verò, & chimærico, est vere chimæricus; sed dissentus prædicens à præmotio, & non præmotio, est prædicens à vero, & chimærico: ergo est chimæricus.

Roboratur hoc. Nam dissentus tunc antecedenter possibilis non potest coniungi cum carentia præmationis ad ipsum, ut ex se patet; sed nec potest coniungi cum illius præmatione: ergo est chimæricus: Patet consequentia: nam id, quod prædicendū à duobus contradictorijs, & cum neutro potest coniungi, est chimæricum, sicut chimæricum est, quod duo contradictoria simul deficiant. Minor verò probatur: nam præmotio ad dissentium esset antecedenter impossibilis, sicut præmotio opposita esset antecedenter necessaria: ergo non pos-

set coniungi cum præmatione ad ipsum.

Respondetis cum Godoy num. 26. quod dissentus, si tunc existeret, non coniungeretur cum præmatione illius, sed cum carentia illius; sed hoc non conveniret dissentui persè & ab intrinseco, sed ab extrinseco, ex modo scilicet agendi Dei, qui necessario præmoveret consensum. *Contra est.* Nam hinc sequitur, dissentium esse chimæricum saltem ex modo necessario agendi Dei: quia existentia dissentus coniuncta cum carentia præmationis illius est chimæra, sicut coniuncta cum præmatione consensus, vnde quaque coniunctio proveniat.

## §. II.

Doctrina D. Thomæ præcedenti doctrinæ applicata, & corollaria.

115. **D**OCTRINA D. Thomæ est conformior nostræ conclusioni: ergo ex hac parte tenenda est. Antecedens probatur primò: nam iuxta D. Thomæ hæc duo principia sunt omnino certa scilicet, quod voluntas creata non potest à Deo moveri, quin se moveat: & quod in bona consequentia antecedens nequit esse ex terminis necessarium, & consequens liberum, ut videri potest Ang. Præcept. quart. 2. de Verit. art. 12. ad 7. Hincque desumpta videtur illa regula summulistica, quam tradunt NN. Complut. abbrev. in Institutionibus. ad Logicam, seu in suis Summulis lib. 4. cap. 2. §. Prima est: In omni bona argumentatione semper ex antecedenti necessario sequitur necessarium. Ergo iuxta D. Thomæ non stat, quod Deus moveat voluntatem necessario absolute, & quod voluntas operetur liberè.

116. Respondetis cum Godoy num. 4. & num. 30. quod si antecedens necessarium ex terminis connotet, & inferat libertatem consequentis, non tollit veritatem consequentis esse liberam.

Sed contra est. Nam imperceptibile est, quod antecedens ex terminis necessarium metaphysicè connexum cum consequenti connotet liberum arbitrium, & conferat libertatem consequentis. Et sic videtur ingens petitio principij. Et probatur à priori: nam si antecedens bonæ consequentiæ esset ex terminis necessarium, & consequens liberum, posset oppositum consequentis coniungi cum antecedenti: hoc autem implicat, alias dissentus posset coniungi cum præmatione ad consensum: ergo implicat, quod antecedens ex terminis necessarium metaphysicè connexum cum consequenti connotet liberum arbitrium, & inferat libertatem consequentis. Maior videtur persè nota: nam si antecedens est ex terminis necessarium, non potest deficere: & si consequens est liberum, potest

test deficere, & eius oppositum existeret: ergo si antecedens bona consequentia esset ex terminis necessarium, & consequens contingens, posset in bona consequentia oppositum consequentis coniungi cum antecedenti.

Quam rationem tradit D. Thom. loco citato num. prac. ubi sit ait: *Alij dicunt, quod ex antecedenti necessario absolute non oportet, quod sequatur consequens necessarium absolute, nisi quando antecedens predictum est causa proxima consequentis. Si enim sit causa remota, potest necessitas effectus impediri per contingentiam causa proxima: Sed etiam hoc non videtur sufficiens: quia hoc non est per naturam causae, & causae, quod ex antecedente necessario sequatur consequens necessarium; sed magis propter ordinem consequentis ad antecedens; quia contrarium ad edentis nullo modo potest flare cum consequenti, quod contingeret, si ex antecedenti necessario sequeretur consequens contingens. Unde hoc accedere necesse est in qualibet conditionalis, si vera sit: sive antecedens sit effectus, sive causa proxima, sive remota.*

117 Probatur secundò illud, antecedens: Nam 1. 2. quest. 10. art. 2. detegens radicem nostrae libertatis, asserit libertatem fundari in universalitate, qua voluntas attingit obiectum ut bonum, & obiecta particularia ut bona, & ut non bona; sed repugnat potentiam inferiorem subordinatam persè causa superiori, attingere cum maiori universalitate suum obiectum seu effectum, quam causam superiorem: ergo cum voluntas creata sit causa inferior divina, eique persè subordinata, repugnat, quòd suum obiectum attingat cum maiori universalitate, quam divina: ergo repugnat, quòd voluntas creata attingat liberè suum obiectum, & divina necessariò.

Respondetis cum Godoy num. 32. & 36. sufficere, quòd voluntas divina attingeret obiectum voluntatis creatae cum maiori universalitate eminenter, quia etsi non esset libera formaliter, esset tamen eminenter.

Contra est primò. Nam eò Deus esset liber eminenter, quia contineret actum liberum voluntatis creatae; sed per hoc incurritur manifeste petitio principii: siquidem hoc in dubium vocatur, an maneret actus voluntatis formaliter liber: ergo hac solutio non potest subsistere. ¶ *Secundò*: Nam, dum voluntas creata prae moveretur à Deo necessario ad consensum, vel posset elicere dissentiam; vel non? Si dicatur primò: ergo Deus nullo modo contineret dissentiam; alias posset prae movere ad illum, & non prae moveret consensum. Si dicatur secundò: ergo consensum non est liber formaliter; & sic non illum ut liberum Deus contineret eminenter. Maneat ergo, quòd iuxta D. Thom. nostra voluntas non operaretur liberè.

118 Ex dictis inferitur primò, quòd si Deus ageret necessariò, repugnaret in nobis liberum arbitrium. Et probatur: nam liberum arbitrium est potentia ad actus liberos: ergo, repugnante actu libero, repugnat liberum arbitrium; quia impossibilis est potentia ad impossibile: sed actus liber foret nobis impossibilis: ergo & liberum arbitrium. ¶ *Confirmatur*. Nam voluntatem habere liberum arbitrium est posse agere, & posse non agere; sed hoc repugnaret, si Deus ageret necessariò, quia repugnaret Deum posse movere ad agendum, & ad non agendum; & posse non agere voluntatis absolute posse Dei ad movendum ad non agere est chimera: ergo in hac hypothese liberum arbitrium esset chimera. Hac dicta sunt contra tertiam sententiam relatum num. 110. & contra secundam conclusionem Godoy, quam adducit num. 31.

119 Inferitur secundò, quòd si Deus ageret necessariò, non prestaret saltem formaliter eundem concursum, quem modo praestat. Ita inferimus contra Godoy num. 41. Et ratio est: quia concursus, quem modo praestat, ita est, ut possit non esse; concursus verò, qui tunc esset, ita esset, ut non posset non esse: ergo esset concursus diversus saltem formaliter. ¶ *Confirmatur*. Nam eiusdem rei idem est defectus; sed concursus, qui tunc esset, ita esset, ut non posset deficere, quia concursus esset necessarius; & concursus, qui nunc est, potest deficere, quia non exiit necessariò: ergo sunt diversi concursus formaliter. Patet consequentia; quia defectus possibilis, & impossibilis non est idem formaliter. Hincque deducitur contra Godoy num. 41. quòd Deus tunc non produceret eosdem effectus, quos modo producit, ut ex se liquet. Deducitur etiam, quòd Deus tunc non vellet idem, quod modo vult: nam modo vult, quòd actus eliciatur liberè; & tunc hoc non posset velle.

120 Inferitur tertio, esse non solum implicatorem, sed etiam complicatorem, & inutilem hypothese, quam hi formant, nempe quòd homo operaretur liberè, si Deus ageret ex necessitate naturae, & maneret liberum arbitrium, vel Deus prestaret eundem concursum, quem modo praestat. Et ratio est: quia ex illa sequeretur quodlibet extremum contradictionis, scilicet voluntatem nostram agere liberè, & non agere liberè. Sicut si assumeretur pro hypothese, *Petrum esse hominem, & non esse rationalem*, interretur esse risibilem, quia est homo; & non esse risibilem, quia non est rationalis. Et sicut, si assumeretur pro hypothese, *Spiritus sanctum non procedere à Filio, & realiter reservari ad Filium*, sequeretur inde realis distinctio inter eos propter relationem realem; & defectus talis distinctio ex defectu realis processionis. Pariter ergo, si ponatur hypothese, quòd Deus operaretur necessariò, infer-

inferitur nostrae libertatis defectus, ut s. prac. probatum est: & si cum hac hypothese adiungatur alia, videlicet quòd in homine maneat liberum arbitrium, & Deus praestet eundem concursum formaliter, inferitur voluntatem posse liberè operari; & consequenter libertatis existentia, & defectus. Et sicut duae praefatae suppositiones sunt non solum implicatoriae, sed etiam complicatoriae & inutiles, similiter in praesenti.

121 Inferitur ultimò contra Godoy num. 63. primam rationem & radicem nostrae libertatis non esse efficaciam divinae voluntatis, nullo modo importantem, aut connotantem saltem per modum conditionis libertatem divinam. Et probatur ratione, qua debellatur ratio Godoy: Nam eo ratio, quae sola ipsa mediante, & selecta libertate divina, non radicat effectum, nequit esse ratio prima radicans effectum, ut ex se liquet; sed selecta libertate divina, & remanente summa efficacia Dei, non remaneret in nobis libertas, ut constat ex hucusque dictis: ergo summa efficacia divinae voluntatis, selecta libertate Dei adhuc per modum conditionis, non est prima ratio nostrae libertatis. Unde dum D. Thom. 1. part. quest. 19. art. 8. reducit nostram libertatem in efficaciam divinae, intelligi debet supposita libertate Dei saltem per modum conditionis.

## S. III.

## Argumenta opposita sententiae.

122 **A**rguitur primò: Nam si Deus ageret necessariò, adhuc permaneret contingentia in creatis: ergo etiam libertas. Patet consequentia: quia eadem ratio militat pro vtraque: nam sicut libertas est indifferentia ad esse, & non esse, ita contingentia. Antecedens probatur primò: nam licet Deus ageret necessariò, causae secundae essent defectibiles, & impedibiles à causa prima, vel ab alijs causis secundis potentioribus: ergo possent ab agendo impediri: ergo permaneret contingentia in creatis. ¶ *Secundò* ex D. Thom. qui 1. Contra gent. cap. 67. rat. 5. docet, quòd si causa proxima fuerit contingens, effectus eius debet esse contingens. Unde concludit: *Scientia autem Dei, etsi sit causa verum sitarum per ipsam, est tamen causa remota earum: igitur necessitati sitarum contingentia non repugnat, cum contingat causas intermedias contingentes esse.* Idem tradit 1. part. quest. 14. art. 13. ad 1. ubi ait: *Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus proximus potest esse contingens propter causam proximam contingentem. Sicut geminatio plantae est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius. Et similiter.*  
Tom. III. Paul. Theol. Sahn.

scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quae est causa prima, sit necessaria. In quibus locis, ut videtur, asserit manere contingentiam in rebus, quin recurrat ad libertatem causa primae, immò potius etsi scientia Dei sit necessaria, quia videlicet causa proxima sunt contingentes; & scientia Dei est causa remota: ergo etiam Deus ageret necessariò, adhuc permaneret contingentia in rebus.

Confirmatur haec ratio ex Div. Thom. 1. 2. part. quest. 19. art. 8. ubi docet, actus nostros esse liberos provenire ab efficacia voluntatis divinae, quin meminerit divinae libertatis; sed ex eo, quòd Deus ageret necessariò, non sequeretur minui efficaciam voluntatis divinae; immò potius supponitur manere in Deo efficaciam summam suae voluntatis: ergo existeret radix nostrae libertatis ex parte Dei: & sic nostri actus forent liberi, & si supponatur Deum agere necessariò.

Ad argument. respondetur concedendo antecedens: & negando consequentiam. Pro cuius discrimine nota, quòd licet effectus contingens, & effectus liber convenient in hoc, quòd uterque potest esse, & non esse; differunt tamen in eo, quòd effectus contingens potest impediri ab extrinseco, sed effectus liber est impedibilis ab intrinseco. Hincque provenit, quòd contingentia ex terminis importet imperfectionem defectibilitatis, & impedibilitatis ab alia causa potentiori: e contra verò libertas ex terminis dicit perfectionem dominij activi super effectus liberos. Hincque iterum evenit, Deum modò nihil agere contingenter, sicut nec impedibiliter, & quòd moveat liberè causas creatas necessariò; simul & contingenter operantes: quòd sufficiens signum est dari aliquam diversitatem inter libertatem, & contingentiam; cum scilicet agnoscamus Deum operari liberè, & non contingenter; & plures causas creatas operari contingenter, & non liberè.

Quo praenotato iam patet discrimen, cur in hypothese, quòd Deus operaretur necessariò, non daretur libertas in nobis; daretur tamen contingentia in rebus. Nam voluntas creata in suis actibus à nullo praeter Deum potest impediri nisi à seipsa, nec à seipsa potest impediri nisi eam subordinatione ad Deum. Unde si Deus non potest voluntatem nostram impedire, nec ipsa potest se impedire, & consequenter deficit libertas. In praedicta autem hypothese Deus non posset voluntatem nostram impedire in actu quem prae moveret, quia necessariò absolute illam prae moveret; ideoque existeret in ea defectus libertatis. Ceterum in ea hypothese effectus causae inferioris potest impediri ab alia causa creata superiori, & e converso. Nam licet Deus prae moveret omnes causas necessarias iuxta existentiam earum; sicut nunc, non obstante quòd

præmoveat causas creatas iuxta connaturalem earum exigentiam, & eniunt illis plures effectus necessario contingenter, ita Deus in illa hypothese illas præmoveret, ut effectus essent illis contingentes.

123 Sed dices cum Scoto 1. dist. 39. Causa movens in quantum mota, si necessario movetur, necessario movet; sed omnis causa secunda movet, in quantum movetur à causa prima: ergo necessario movet, si à prima necessario movetur: ergo pariter, si non movetur contingenter, contingenter non movet.

Confirmatur. Nam si Deus necessario determinat actum, carentia actus est impossibilis, ut arguebamus §. 1. ergo actus non est contingens. Patet consequentia: nam contingens est, quod potest esse, & non esse, in quo contingencia convenit cum libertate, ut supra notavimus. Urgetur. Nam effectus, ad quem Deus præmoveret, ita esset, ut non posset non esse: quia præmotio Dei non potest deficere, aut frustrari: ergo non esset contingens.

Ad objectionem Scoti optimè respondet Ferrarà 1. Contra gent. cap. 67. §. Ad evidentiam secundam, dicens quod cum virtus cause primæ recipiatur in causa secunda secundum modum cause secundæ, agente prima causa in secundam, si causa contingens sit, & defectibilis, etiam effectus contingenter eveniet, & defectibiliter. ... stant enim simul causam moventem, in quantum mota est, necessario moveri à causa prima; & tamen non necessario (id est contingenter) movere, eod quod actio prima causa modificetur in causa secundam modum ipsius cause secundæ. Quasi diceret, quod fiat causam, quæ movetur à Deo, movere contingenter per ordinem ad alias causas proximas, à quibus est impediibilis ex se, & quæ iuxta hanc dispositionem movetur à Deo & non per ordinem ad causam primam.

Ad confirmationem respondetur cum Ferrarà loco citat. Quod habere contingentiam à causa prima dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod prima causa sit causa contingentia rerum: & sic verum est, quod contingentia habent à causa prima contingentiam: causat enim Deus & res, & necessitatem, & contingentiam rerum. Alio modo, quod res sint contingentes propter contingentiam, & inefficaciam causa primæ, cuius effectus impediri possit: & hoc modo res non habent contingentiam à causa prima. Quasi diceret, quod semel, quod Deus præmoveat ad actum, carentia illius est impossibilis respectu Dei; & tamen possibilis secundum se, quia posset impediri ab alia causa creata. Nam Deus ita illam præmoveret necessario, ut si poneretur in dispositione, quod impediretur ab alia causa potentiori, tunc hanc præmoveret necessario, & non illam. Hoc non habet locum in causa libera propter nuper dicta. Per quod constat ad veritatem.

124 Ad confirmationem adductam num. 122. respondetur iuxta dicta num. 121. quod factis constat ex D. Thom. loco nobis opposito, radicem nostræ libertatis esse efficaciam voluntatis divinæ, prout habet coniunctam divinam libertatem. Sic enim ait: *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quadam fieri necessario, quadam contingenter (id est liberè) cum ergo Deus non vellet quadam fieri liberè, si Deus liber non esset, hinc est, quod radix libertatis iuxta D. Thom. est efficacia, ut habet adiunctam libertatem.*

125 Arguitur secundò cum Godoy num. 11. voluntas nequit agere necessario medio iudicio indifferente, sicut nequit agere liberè medio iudicio necessario, ut tenent communiter Thomistar; sed licet Deus ageret necessario, voluntas nostra ageret medio iudicio indifferente: quia intellectus apprehenderet bona particularia, non ut summè bona: ergo operaretur liberè.

Ad hoc argumentum respondetur concedendo maiorem (licet Authores Societatis illam negent) & negando minorem. Ad probationem in ea inclusam dicimus, verum esse quod tunc intellectus non iudicaret bona particularia ut summè bona. At ita iudicaret aliquid ut bonum, quod non posset iudicare oppositum ut bonum. Hoc colligimus ex eo, quod cognitio creata non debet esse, adhuc in illa suppositione, universalior in iudicando quam divina, cum Deus perfectus ponatur. Unde sicut Deus in ea hypothese non iudicaret bona particularia ut summè bona, & tamen determinatè iudicaret de bonitate obiectorum, & propterea supponeretur non liber, aliàs retorqueretur argumentum contra Godoy: ita intellectus noster iudicaret determinatè de bonitate obiectorum, etsi non iudicaret ea ut summè bona.

126 Arguitur terciò. Nam præmotio ad consensum, necessario causata, à Deo, non tolleret potestatem dissensus: ergo nec libertatem consensus. Antecedens probatur: nam præmotio ad consensum liberè causata à Deo non auferet potestatem ad dissensum: ergo nec præmotio necessario causata. Patet consequentia: nam existentia effectus non pendet nisi ab existentia formæ, non à modo quo producitur, ut liquet in omnibus alijs formis, v. g. in albedine, sive necessario, sive liberè producatur.

Et confirmatur. Nam præmotio ad consensum, necessario existens à Deo, non pugnet cum aliquo constitutivo potestatis ad dissensum: ergo non tolleret potestatem ad dissensum: ergo nec libertatem. Antecedens probatur: nam præmotio ad consensum solum pugnat cum præmotio ad dissensum, ut modò accidit: ergo non pugnet tunc cum potestate ad dissensum.

Hoc

Hoc argumentum, cum confirmatione instatur imprimis in præmotio ad consensum necessario, & semper existente, quæ iuxta Godoy pugnat cum libertate. ¶ Deinde respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam: ad hunc sensum, quia non præsuponeret potestatem ad dissensum, sicut nec potestatem ut voluntas præmoveretur à Deo ad dissensum; & hoc sufficit, ut non maneret libertas consensus. Præmotio nunc liberè causata à Deo præsupponit in voluntate potestatem ad hoc, ut præmoveatur ad dissensum, & propterea habet potestatem dissensus.

127 Arguitur vltimò specialiter contra rationem. Stat enim, quod voluntas sit necessario mota à Deo, & quod liberè se moveat: ergo & quod habeat libertatem. Antecedens probatur primò: nam stat, quod causa moveatur à Deo liberè, & ipsa moveat necessario, ut modò contigit in omnibus causis necessarijs: ergo stat, quod voluntas sit necessario mota à Deo, & quod liberè se moveat. Consequentia liquet à paritate. Secundò: Nam stat, quod causa non contingenter moveatur à Deo, & illa contingenter moveat, ut defectò contingit, & contingeret in nostra hypothese iuxta dicta num. 122. & 123. ergo stat pariter, quod voluntas non liberè moveatur, & liberè se moveat.

Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem concessio antecedenti, negatur consequentia. Et ratio disparitatis est: quia nulla est repugnantia in eo, quod Deus possit, quod creatura non potest: repugnat tamen, quod creatura possit, quod Deus non potest. Primum liquet ex eo, quod Deus liberè movens causas necessarias habet sub suo dominio impedire effectum illum, ad quem movetur, quem ipse impedire non valet: & in hoc nulla est repugnantia. Si verò moveret necessario ad actum liberum voluntas creata posset impedire existentiam illius, & Deus non posset. Quod quid absurdius? Ad secundam: Respondetur, concessio etiam antecedenti, negando consequentiam. Cuius discriminis ratio est: quia contingentia dicit imperfectionem, quæ Deo non potest competere, sed creaturæ. Et aliunde Deus debet esse causa universalis omnium rerum, proindeque ipse producit causas contingentes sine vlla contingentia ex parte sui, cuius influxus à nullo potest frustrari. Si verò motio Dei non esset libera, ipsa non posset deficere, nec actus, quo con-

nectitur, & sic opponeretur cum libertate.

\*\*\*

